

Chr. 630. obiit, & uno aut altero anno post ejus mortem, Cyrus e Phaside Lazorum Metropoli in Sedem Alexandrinam translatus est: & paulo post, cum Theodosianis hæreticis, quorum in ea urbe ingens numerus erat, unionem fecit. Sanctus enim Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus (verba hæc sunt Pagii ad ann. 630. num. 3.) in Actione 2. Septimæ Synodi generalis de hæresi Monothelitarum loquens, ait, quum Sexta Synodus generalis Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum, Monothelismi Antesignanos damnavit, ad *quinquaginta annos tunc hæresim durasse*. Habita Sexta Synodus anno 680. a quo quinquaginta anni, & quidem utrinque incompleti, ad annum 632. intercurreunt. Quare ex Tarasii sententia Cyrus hoc ultimo anno, Monothelismo originem dedit. Secundo, in Secretario primo Concilii Lateranensis anno 649. celebrati, legitur: *Et Cyrus quidem ante hos decem & octo annos unam operationem in Christo in eadem Alexandria urbe definiens, divinitatis ejus & humanitatis &c.* Si ab anno 649. annos octodecim, retrogrado ordine numeres, pervenies ad annum 631. aut 632. quem ultimum in eo secretario intelligendum demonstrat locus citatus Tarasii.

De Cyro Alexandrino hæc habet Theophanes. „  
 „ *gio Alexandria Antistite vivis crepto, Cyrus in Epi-*  
 „ *scopatu sufficitur, qui Theodoro Pharan Episcopo ad-*  
 „ *junctus, aqua male tinctam (1) unionem illam, unam*  
 „ *nimirum & eandem in Christo operationem, commen-*  
 „ *tus est, & tradidit scripto. His ita ordine gestis, in*  
 „ *probrum & dedecus maximum Chalcedonenis Synodus,*  
 „ *quinimo univèrsa Ecclesia, prolabitur. Gloriabantur*  
 „ *siquidem inde Jacobita & Theodosiani, palam jactan-*  
 „ *tes, se non quidem cum Chalcedone, at Chalcedonem*  
 „ *secum doctrina communicare, & una operatione admif-*  
 „ *sa, unam quoque Christi naturam docere.* „ Id factum  
 in Pseudosynodo Alexandria, *Indictione Sexta*, hoc est, ann. Chr. 633. constat ex S. Maximi disputatione cum Theodosio, in qua hæc ait: *Scitis enim factus innovaciones a*  
 Sc-

(1) Aqua submergendam; rectius Græcè ὑδροβασις.